

## I O. C H R Y S I P P V S

F A N I A N U S , J O . P H I -  
L O P O N O S U O S .

**M**IRUM quod tot tantisque animal sauciatum vulneribus, tot aegritudinibus divexatum Medicus sanet, pristinaeque restituat incolumitati: philosophus nequeat praedium sua labe metallum excludere, quod minus operosum, multoque facilius videtur. Quis autem est, qui si ut animalium, sic inanimorum inspiciat aegritudines, non pervideat thecam illam animae longè periculosius medicamentis exponi, quam quod nihil habet praeter aegritudinem cum animato commune? Et tamen audet is ipse medicus aegrotantis & sauciati dubiae salutis imponere manum, philosophus metallo non audet, quasi verò illius non vetetur periculum, huius quam maxime, atque ideò magis impunè quis hominem læserit quam metallum. Quod si quis ex læso metallo adulterinam possidendi monetam inducat, quin itidem ex læso homine multa posse fieri homicidia induxerit? Ut si quis hominem interfecerit impunè; deinceps plures interficere non metuat? plus est interficere quam decipere. An non is magis est noxius, qui quum se sanaturum aegrotum polliceretur, tamen interfecit, quam qui pravum nummum dederit pro bono? Hic de bonorum aut particula ipsorum, illic de vitæ amissione agi oportet. Utrum verò carius? At maiestas, inquires, hic regia attingitur. Annon & illic divina? Regiæ quoque maiestatis magis interest tolli quem de exercitu, quam de thesauro nummum. An non praeterea plus est servare hominem, quam publicum augere ærarium? Decipere verò vel lege permittente alter alterum possumus: hinc quisque ad rem suam tuendam fit cautior, ac denique ad tuendam Reipub. causam. Indignamur hodie si quis fortè communibus à natura hominum facultatibus utatur, quæ tandem non societate ulla, sed dissidio, non pace, sed bello propriae effectæ sunt: si quis aliquem interemerit, dissimulamus ei que parcendum ducimus. Negligimus itaque Dei præceptum, quod est ut nihil sese plus, quam alterum quis diligat, quod quam sit amicorum proprium & peculiare, & eorum quidem ut Pythagoras sentiebat, communia quæcunque, quid ab amico querimus hodie de peculio nobis aliquid auferri? Atque ideò rectè Socrates execrari eum solebat, qui primus utilitatem à natura seiunxisset: id enim querebatur caput esse exitiorum omnium. Est equidem & destruere metallum atque dete-